

Ann. III.

Num. III.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7 1/2.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN ITALIA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. Apud BURNS AND OATES

ROMAE, Via Santa Chiara, 20-21.

IN ANGLIA

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS
AMERICAE SEPTENT.

Apud
COMMISSARIAT OF THE HOLY LAND.

NEW YORK, 143 w 95th St.

IN CANADA

ET NEWFOUNDLAND

NEW YORK (U. S. Americ.), 143 w 95th St.

IN BELGICA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.

BRUXELLES, Rue de la Montagne, 52.

LUGDUMI

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.

Rue Victor Hugo, 5

LUTETIAE PARISIORUM

LIBRAIRIE VIC ET AMAT

Rue Cassette, II.

INSULIS (LILLE)

Apud
CHARLES AMAT SUCC.

Rue de Metz, 41.

IN HUNGARIA

Apud

C. B. LIPTAY, CORRESP. DE HONGRIE

BUDAPEST, Palais du Théâtre National.

RERUM INDEX

Ioannis Baptistae Gandini ORATIO ROMAE HABITA IN CAPITOLIO XII KAL. FEBR. A. M DCCCC.	
NOVI SAECULI SPIRITUS	I. Antonelli.
THEOLOGIAE STUDIA CETERIS DISCIPLINIS IUVANDA	F. Tedeschini.
“ANNUS ARCHAEOLOGICUS”	Forfex.
AVE MARIA	F. X. Reuss
FANATICUS INDORUM FUROR	Hersilus.
DE ONUPHARIO PANVINIO DEQUE EIUS OPERIBUS EDITIS ATQUE INEDITIS	F. Ramorino.
DE VATICANA AULA QUAE VULGO “A SIGNATURA,, APPELLATUR	Laelius.
QUID SIT DE TELEPATHICIS CASIBUS SENTIENDUM	R. Spina.
LOLLIUS SIVE DE PROVECTA LATINITATE	P. Angelini.
VITA FUNCTI VIRI CLARIORES	I. F.
EX RUSSIA - De calendario apud Russos immutando	D. Lascaris.
DE FESTO PURIFICATIONIS B. M. V. EIUSQUE ORIGINE	F. C.
NOVUM AD ORIENTEM ITER PROPOSITUM	A. L.
ANNALES	Poplicola
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS	Scriba.
LIBRORUM RECENTIO	F.
AENIGMATA	P. Alexis.

In tertia operculi pagina:

PER ORBEM	Viator.
VARIA: Cinemicrophonographus - Ioci ex historiis	P. d. V.

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCII

M DCCCC

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS Commentarii VOX URBIS anno MCM

Premium annuae subnotationis est: in Italia Lib. **10**; ubique extra Italiam Lib. **15**; M. **12**; Sch. **12**; Doll. **3**; Rubl. **6**; Flor. **7 $\frac{1}{2}$** . recto tramite mittendum ad **Aristidem Leonori** equitem, commentarii ipsius possessorem et administratorem

ROMA - Via Alessandrina, 87

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA

Inter eos omnes, qui die XV mensis Martii MDCCCC inter commentarii socios numerentur, sorti committetur sacro Paschatis Resurrectionis die eiusdem anni

Theca Aurea Pulveri Nicotiano Asservando

qua SS. Dominus PIUS Papa IX f. r. utebatur, prouti ex luceolento constat in scriptis testimonio

Qui primum nunc nomen dederint, premium subnotationis solverint ut supra, *Vox Urbis* commentarium accipient a Kalendis Ianuariis usque ad expletum annum MDCCCC, iisque donum erit

URBIS A IANICULO MONTE PROSPECTUS

late magnus (m. 1.10 \times 0.24) et visu decorus.

Sociis qui subnotationem renovabunt dono dabitur *ubi primum in promptu erit*

LIBER (vulgo "Album") PRAECIPUA URBIS REFERENS

pulcritudine insignis atque, commentarii moderatore iubente, expresse conflatus.

Denique illis inter socios, et recentes et veteres, qui tres in Italia, vel binas ubique extra Italiam subnotationes novas comparaverint, earumque annum premium **recto tramite miserint** ad commentarii administratorem, optio erit unius ex his XXXIII quae sequuntur, quod gratuito pariter habebunt:

I. . . . Aristotelis De arte poetica liber. Rec. GUILELMUS CHRIST.	VIII. . . Xenophontis. Expeditio Cyri. Rec. A. HUG.
Id. Ars rhetorica. Ed. A. ROEMER.	Id. Historia Graeca. Rec. O. KELLER.
Id. Quae feruntur Magna Moralia. Rec. FR. SUSEMIHL.	Id. Institutio Cyri. Rec. A. HUG.
II. . . . Fabulae Romanenses graece conscriptae ex rec. et cum adn. A. EBERHARD.	Id. Commentarii. Rec. W. GILBERT.
III. . . . Homeri Carmina. Ed. GUIL. DINDORF. (Voll. 2).	Id. Scripta minora. Rec. L. DINDORFIUS.
IV. . . . Metrologicorum scriptorum reliquiae. Ed. FRIDERICUS HULTSCH. (Voll. 2).	IX. . . . Novum Testamentum. Graece ed. PH. BUTTMANN.
V. . . . Patrum Nicaenorum nomina graece, latine, syriace, coptice, arabice, armeniace. Edd. H. GELZER, H. HILGENFELD, O. CUNTZ.	X. . . . Augustini (Sancti Aurelii) De civitate Dei lib. XXII. Iterum rec. B. DOMBART. (Voll. 2).
VI. . . . Plutarchi Vitae parallelae. Rec. C. SINTENIS. (Voll. 5).	XI. . . . Caesaris C. Iuli cum A. Hirti aliorumque supplementis: Commentarii de bello Gallico, de bello civili, de bello Alexandrino, de bello Africo, de bello Hispano. - Fragmenta. Rec. B. KÜBLER et Ed. WÖLFFLIN. (Voll. 3).
VII. . . . Strabonis Geographica. Rec. A. MEINEKE. (Voll. 3).	XII. . . . Ciceronis M. Tullii Opera rhetorica. Edidit FRIEDRICH. (Voll. 2).

(Sequitur in tertia operculi pagina).

In I.
Lib. I.

JOANNI

ROM

quo die adsta
Lyceorum
litteris La

DUTURNI
nisque
lescentes lect
hodierno die
amplius, quo
est benignitas
et studium, H
tatem praese
augere voluer
et industria
tamen a vob
iam aetas mu
me laudibus
gratulationi a
Dum Verg
dum in Latin
cogitatione in
his studiis, qu
indictum est.
non in Italia
disciplinae p
deque adolesc
tentione certa
nibus de Patro
satis inconside
dicunt ordinis
doctrinarum c
conantur, obl
mur, huius cu
vetere cultu e
nes magnarum
tiam, historian
vita excolitur
profecta, eoru
pore et apud
Equidem s
esse fatum, u
digatur, et sp
omnia utilitat
fore: spero e
confido Grae
insignes victo
tamine superi
At vos, ac
nere contigit,
cipes essetis,
gnitas vel do
numero collo
neficium me
humanitatem
virili parte s

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

IOANNIS BAPTISTAE GANDINI

ORATIO

ROMAE HABITA IN CAPITOLIO
XII KAL. FEBR. A. MDCCCCquo die adstantibus Rege et Regina Italiae alumnis
Lyceorum Italicorum certaminis victoribus de
litteris Latinis praemia collata sunt.

DIUTURNI laboris, quem in Latina lingua Latiniisque litteris percipiendis consumpsisti, adolescentes lectissimi, praemium magnum et amplum hodierno die vobis tribuitur; eo etiam maius et amplius, quod Rex et Regina Italiae, quae illorum est benignitas omniumque honestarum rerum sensus et studium, huius diei celebritatem locique dignitatem praesentia sua augustissima honestare atque augere voluerunt. Vestram ego diligentiam, iuvenes, et industriam laudo, felicitati gratulor. Quaeso tamen a vobis pro ea auctoritate, quam mihi acta iam aetas munusque docentis attribuit, ut aliquod me laudibus monitum admiscere et cohortationem gratulationi adiungere sinatis.

Dum Vergili atque Homeri lectioni indulgetis, dum in Latinas Graecasque litteras omni cura et cogitatione incumbitis, bellum iniustum et nefarium his studiis, quae unice diligitis, imprudentibus vobis indictum est. Aliquot anni sunt, adolescentes, cum non in Italia solum, sed etiam apud alias nationes disciplinae publicae novandae consilia agitantur, deque adolescentulorum institutione non minore contentione certatur, quam olim sub Troiae moenibus de Patrocli corpore dimicatum est. Ac nonnulli satis inconsiderate, ne dicam audacter, scholas quas dicunt ordinis secundi Latinarum Graecarumque doctrinarum ornatu pulcherrimo ac divino spoliare conantur, oblii nimirum eius humanitatis qua fruimur, huius cultus quo gloriamur artissimam esse cum vetere cultu et humanitate coniunctionem, atque omnes magnarum artium disciplinas, poeticas, eloquentiam, historiam, philosophiam, cetera quibus hominum vita excolitur, ab Atheniensibus et a Romanis esse profecta, eorumque auctoritate et exemplo omni tempore et apud omnes populos aucta esse et perpolita.

Equidem suspicari vix possum Italiae nostra hoc esse fatum, ut in barbarorum potestatem rursus redigatur, et sperare malo hunc occidentis saeculi omnia utilitate metentis conatum vanum et iritum fore: spero et hercule, ut me patriae amor iubet, confido Graecos et Romanos, quibus tot tamque insignes victorias dii dederunt, ex hoc quoque certamine superiores esse discessuros.

At vos, adolescentes, quibus singulari patriae munere contigit, ut horum liberalium studiorum participes essetis, vos quos iamiam vel fortunae benignitas vel doctrinae elegantia in optimorum civium numero collocatura est, vos, inquam, acceptum beneficium meminisse et earum artium, quibus ad humanitatem informati estis, propugnationem pro virili parte suscipere debetis.

Permagna res agitur, adolescentes. Considerate cum animis vestris et cogitate nihil post hominum memoriam, si a pervulgata per terrarum orbem Christi doctrina discesseritis, nec magnitudine praestabilius nec usu uberioris hominum generi accidisse, quam abhinc annos amplius quadringentos renovata antiquitatis scriptorumque veterum studia: quibus nunc temere sublati vel attenuatis aut imminutis, quid aliud quam memorabilis illius commutationis fructum amitti et humanitatis cursum retardari?

Circumspicite, quaeso, paullisper Europae nationes et gentes: illas invenietis opibus, copiis, imperio, rerum gestarum gloria praeter ceteras florere, apud quas cum disciplinae omnes, tum in primis haec humanitatis studia maxime vigent maximoque sunt in honore. Quin etiam, si longius respexeritis, disiunctissimae Americae populos reperiens patrum nostrorum memoria Graecas Latinasque litteras avidissime arripuisse, a quibus se tanto locorum et temporum intervallo sciuntos esse indigne paterentur.

Videtis iam profecto, adolescentes, quam id esset genti nostrae indecorum, quae tamen se in libertatem vindicare et in unum nomen coalescere potuerit, si non cum ceteris quoque nationibus optimarum artium studiis contenderet, iis praesertim, quibus maiorum nostrorum, Romanorum dico, memoria illustratur. Etenim magna vis inest in hoc Romae nomine, quod cunctos ad se convertat et rapiat, nullum ut unquam tempus futurum sit, quo non exterarum quoque gentium docti homines res Romanas accuratius exquirant, quibus non unius populi sed generis humani facta explicantur.

Accedit etiam, ut cotidie fere rerum litterarumque veterum reliquiae ex hoc solo eruantur, ac magnae saepe existant quæstiones, quibus nos abstinere et tamquam hospites in patria nostra peregrinari indignum videatur. Et monumentum quidem pervetustum novissime in Foro Romano repertum esse scitis omnes: alia item insignia priscae aetatis vestigia inveniri posse spem magnam affert, seque obisdem quodammodo praebet summi Viri disciplinae publicae praefecti, qui Forum Romanum effodiendum curavit, prouincientia et constantia singularis. Cui Viro de rerum Romanarum memoria deque omni liberali doctrina praeclare merito cum auspiciatissimum operis initium gratulamus, tum vero exoptamus, ut alii ultimæ antiquitatis monumentis in lucem prolati, Urbis nobilissimæ fastis saecula aliquot adiungere, suumque nomen immortalitati commendare contingat.

Sed illud magni interest ad decus et ad laudem Italici nominis, ut Romanae historiae omninoque antiquarum rerum litterarumque nostrarum studiis Italorum ingenia ne desint. Quamobrem vos et moneo et hortor, carissimi iuvenes, ut has præclaras disciplinas recolere nunquam desistatis, ac tamquam gentis nostrae Palladium ab omni adversariorum iniuria vindicetis:

Aetheriam servate deam, servabitis urbem!

NOVI SAECULI SPIRITUS

Ex commentarii nostri scriptoribus quidam, cum praecipuo eventus qui elapsum commoverunt annum recolaret, humana fata non iniuria misertus est, quæ cum illum initum tot pacis auspiciis fauste vidissent, morientem contra inter belli teterrimos strepitus ac rubentes occasus salutaverit cruentatum.

At non ea tantum quæ reipublicae sunt annorum vel saeculorum imaginem reddere satis valent, nisi innumera omnia, et, haud raro, maximi pretii, quæ privati homines vel invenerint, vel patraverint, uno, licet, oculorum ictu comprehensa, insuper recolantur.

Haec, sive praeterita memoremus, sive prospiciamus futura, iuvat perspecta habere, et praesertim cum ex nostri saeculi historia impendentis ignotas vices divinare quodammodo contendimus.

Recolebam haec, cum *New York Herald* epheberidem, sub Natali Dominica die Lutetiae editam contemplarer, splendida forma exornatam, cui titulus subiiciebat: *xx saeculi spiritus*.

Erat virginis forma lectissima, rosea tunica induita et circa lumbos succincta, qua ad niveum usque pedem obtegebatur. Puella super immanem temporis volventem rotam gradu levissimo incedere videbatur: vultus gemmeo pallore renidens, oculi ad instar adamantium splendidi remota quaedam et ignota hominibus somnia quasi scrutantes erant. Iacerti candidi et super humeros in arcum flexi duas lances hinc et inde sustinebant, lusoria veluti suppellebili, quasi ad puerorum strenam, oneratas. Si vero magis attente consideraveris, virilia dona esse facile recognoveris. Inerant enim in dextero industriarum artium ingenique portenta: currus ferrei, et automobiles, quos vulgo dicunt, sive electride sive alia virtute acti, machinae multiplices et variae, vel ad vestes consuendas, vel ad imagines luce exprimendas, telegraphic mali, electricæ lampades, et similia. In laevo contra ballistæ ignivomae et tormenta bellica cuiusvis generis, munitiones, oppida, loricatae naves, quæ circum projectilia aerem persulantia advolitabant.

Profecto hinc vitae et humani progressus altissima inventa, inde vero mortiferae ruinae horridæ machinae, saeculi novi auspicium, in Fortunæ manibus, quasi in aequa lance, posita sunt. Hoc enim est hominibus excultis miserrimum; absolutum decimumnonum aevum, cuius tantum in humanae historiae via relictum est signum, non aliter quam ferreæ barbarorum aetates, inter feras belli neces esse dilapsum.

An dicendum est itaque humanae mentis progressus nil commune habere cum societatis emendatione, ita ut valeat ipse perfici sine ulla societatis ipsis utilitate?

Vel progressum abacti saeculi inanem vocem fuisse dicemus, nec humanos ascensus tot ac tantis perturbationibus, praeliis, et legibus iuvamen ullum expertos esse?

Satis enim certum est, hereditatem, quam ex moriente saeculo accepimus, uti feminea illa forma,

bina oppositaque in lance divisa, tum ingenii triumphos, tum odii arma nobis praebere.

At forte somnia, quae in attonitis puellae oculis a longe intueri licet, illa non erunt, prout dona haec spondent, vana et cruenta. Recogitat forte spiritus ille, quam laeva lanx esset facilior leviorque si, deiectis tot armorum ferreis cumulis, pacis auguria olivaeque racemos tantum gestaret; et videt forte satis proximam illucescere diem, quae, evulsis tandem odii, unum idemque amoris et caritatis vinculum omnes homines feliciter devinciat.

I. ANTONELLI.

THEOLOGIAE STUDIA
CETERIS DISCIPLINIS IUVANDA

I.

ALiquor ante annos, quum Bonaventurae Balneoregiensis saecularia solemnia sextum agerentur, studiumque doctorum atque opera in eius litteris collocaretur, plurium catholici nominis viorum mentem nobilissima illa atque admirabilis sententia subiit, quam Seraphicus, qui dicitur, Doctor animo habuit atque cogitatione comprehensam, mentisque acie illustravit; pari enim cum Bonaventura consilio usi, sic illi sentiebant, progrediens doctrinarum bonum naturae habitu postulare, ut amica conspiratione consensuque in unum disciplinae coeant: ex quo illud efficiebant, doctrinas omnes theologiam magistrum sequi debere ac ducem, eamque ita spectare, ut, foedere inter se ac quasi societate coniunctae, in eadem studia consentiant atque in unum concrescant. Deo equidem bene iuvante factum est ut consilium, quod scriptor nemo p[ro]e Bonaventura penitus perspectum planeque cogitatum habuisset, tunc denique multorum in animis revivisceret, idemque dierum numero altiores ageret radices. Proximo vero anno in eandem cogitationem doctus orator ac nobilis venit qui, quum Mediolani grandem atque excultam orationem in celeberrimo adolescentium conventu haberet, necesse esse censuit, artes bonas disciplinasque omnes, quippe natura ingenioque suo ad laudem Dei vehementer incumbunt, ad theologiam esse referendas amicaque conspiratione cogendas. Quapropter non alienum esse arbitror memorabile illud de excitanda theologiae schola consilium, quem ad modum a Dominico Marinangeli, viro acris ingenii laude nobilissimo eodemque Alexandrinorum patriarcha, sicut cogitatione p[re]ceptum, haud multa oratione comprehendere, atque in uno conspectu sic ponere, ut non tam rem dicendo exprimere atque explicare, quam memoriam prope intermortuam egregii facinoris renovare videar, animosque, si qui ad probabilem exitum pertineant, haereticibus adiungam: id enim exploratum omnibus perspicuumque est, infectam rem et in doctorum hominem oblivione ac silentio iacuisse, et altiore animo subeuntem habuisse neminem.

Singularem quamdam et excellentem theologiae scholam cum ceteris disciplinis conferendas atque componendas Dominicus Marinangeli vel adolescens animo informavit, atque ad eam sese studiosius retulit quum in litteris Bonaventurae conquivit, sic ratus nulla ratione se melius prodesse doctrinis bonisque artibus posse. Plurimos ingenii quidem et cogitationis laudem in ipsum collaturos, consilium vero ad poetarum fabulas ac portenta quam maxime idoneum ducturos intellegebat; neque tamen pro-

positum susceptumque consilium abiiciendum esse putavit; si enim istiusmodi recte conclusa argumenta essent, hoc etiam posset probabiliter confici, poesim illam atque elegantiam, quibus Christianorum animos excoluit atque exornavit Christus, posthabendas esse nulloque loco numerandas. Hoc itaque cupiebat ille atque optabat, ut cum vires rei catholicae colligeret, tum studiorum academiam, a qua amotam theologiā esse atque prohibitam aequa est bonis omnibus expostulatio, in integrum veteremque splendorem excitaret. Etenim eius erat sic ratio et sic animum inducebat suum, doctrinas omnes ac disciplinas cognitione subtiliore ac ratione contineri; rerum vero causas atque consecutiones disciplinarumque rationes, etsi longe disiunctae esse videntur multumque dissociatae, ita tamen coaguntari, ut ex iis ratio omnium praestantissima exsistat, quae una maxime sit, eademque ceterarum procreatrix et caput. Quod si disciplinae inter se contendantur, in doctrinam facili negotio coalescent quae ceteris praestantia antecellat, eaque rationis omnium principis, qui Deus est, imago quaedam atque exemplar. Sequitur, ut qui Deum in colendis doctrinis non modo non dissimulet, verum etiam ardore quadam amoris sub aspectum de industria subiiciat, multum ad bonarum artium litterarumque progressionem afferre dicendus sit. Quae quidem, auctore Dominico Marinangeli, scholae illius admirabilis planeque singularis, cui id unum sit propositum, ut theologiam cum progrediente doctrinarum bono conferat atque componat, laus eximia est.

Theologia enim quum latissime pateat, tum ad liberales artes et graviores atque ad omnem doctrinae varietatem vi atque efficacitate pertinet. Ac primum de christiana religionis sententia disserit, eademque de moribus ac de sacris Ecclesiae legibus disputat: quae vero reconditas Dei sententias, religionisque capita persequitur, aequa in sacris libris explanandis est tota atque in dogmatibus, quae nominantur, ad philosophorum rationes, quoad eius fieri possit, revocandis; ad haec, de certamine disserit quod rei catholicae viri, pluribus in utramque partem cum Ecclesiae triumpho disceptatis, patrum maiorumque memoria cum adversariis habuerunt, firmissimaque eleganter colligit argumenta, cur ea sint vera quae Deus humanum genus docuit, viamque praeterea ac rationem praescribit, qua mentes veritatis amicae quid in religione verum sincerumque sit perspicient perspectumque teneant. Sed enim ad veram maximeque illustrem Sacrarum Litterarum explanationem ea mirum in modum verborum studia pertinent, quae nostra memoria in omnium gentium litteris ac linguis, Latinorum in primis, Graecorum, atque Asiaticorum hominum praecipua sunt. Theologiae vero reconditas divinasque sententias tum ad animi partem mentis ac rationis participem omnes philosophiae loci maxime conformant, tum maiorem in splendorem ac vim physica evehunt, tum denique naturae investigatio atque incorrupta rerum fides, quae huius aetatis via est ac ratio, tuetur ac quasi sepimento aliquo vallat. Itaque innumerabiles illae de naturali philosophia disciplinae, quippe quae ad theogiam maximum adiumentum afferant, in singulari atque excellenti huius doctrinae schola, clarissimo loco ac numero sunt habendae; ex quo efficitur, illud nos vehementer laetari posse, ut et sidera, et geometrica, et regionum descriptio et terrae investigatio, et optima studia et artes, et litterae, omnes denique, ne de singulis agam, bonarum rerum disciplinae, quae specie quidem et nomine, non autem re ac factis a theologiae ingenio quam

longissime recedere ac dissentire videantur, ad eius laudem singularis beneficij operam planeque amicam conferant, atque ad progrediens eius bonum plurimum utilitatis habeant. His adde multum esse studii ad historiam litterarumque monumenta adiungendum, quibus summam ex praecitate factis laudem sibi Ecclesia parit; tum praeterea spectandas magno opere esse disciplinas in quibus de bonis rebus et de malis, deque hominum vita et moribus disputatur. Accedit, ut iuris doctrina tum a Christi Ecclesia constituti, tum a republica conditi, cum theologia apte cohaereat eique comes atque administra sit saepissime data. Huc adde artis p[re]cepta, quae cum adulescentium animos elegantia informant ac pulchritudinis iudicio excolunt, tum etiam ad theogiam sic fere pertinent, quemadmodum ad rationis aciem divino lumine excitatam atque instructam habiles et animi vis et ingenii celeritas sunt existimandae. Quis autem dicat non esse in praestantissima hac theologiae schola cum ceteris doctrinis comparandae bonis litteris ingenuisque studiis locum, eundemque, multorum sententia, fere principem atque ad liberalium disciplinarum gloriam quam maxime insignem? Iis, inquam, litterarum studiis, quibus praeluentibus doctrinae omnes atque artes, etsi ingenio suo admodum impolitae sunt ac rudiores, veritate, venustate, suavitate permulcent, invitant atque allектant posthabitis autem in contemplatione vocatis, omne necesse est pulchritudinis lumen extingui? Itaque p[re]claro Dominici Marinangeli consilio sub aspectum subiecto, illud intelligere licet singularem hanc theologiae scholam continuatione quadam disciplinarum serieque contineri, ut alia ex alia nexa omnesque inter se aptae sint et colligatae, neque ullam esse doctrinam quae suo quaeque locato loco non sit distinque disposita; ex quo et illud exsistit, nihil esse quamobrem, iis radicibus evertendis quae contra disputari solent, catholici viri ab adversariis opinionum commenta requirant, quum domestico testimonio liceat argumenta comparare, ipsique per se omnium artium ac doctrinarum inventa habeant probe perspecta.

F. TEDESCHINI.

“ ANNUS ARCHAEOLOGICUS ”

Qui delapsus nuper est annus non minore studio quam qui praecesserant sepulcrorum p[re]volutis lapides, ac, remotis terrae cumulis, ruinas detexit, quae vetusta saeculorum oblitione latebant. Galli enim praecipue et Germani Orientis atque Occidentis provincias curiosi peragrabant, ut veteris hominum historiae vestigia exquirerent, quorum industria ipse orientalium rerum coetus, mense Octobri Romae habitus, ostendit quam indefessa fuerit, quantoque fructu copiosa. Cum insuper Germanos, qui Austriacas terras incolunt, antiquitatis satis digna schola, prouti Borussi habent, deficeret, Benndorf auctore, factum est ut excitaretur, ac per brevi temporis cursu floret. Gallis contra stationem aucupantibus, qua ad Orientis vetusta mysteria detegenda proficiserentur, Clermont-Ganneau consulit, rogatque ut ad Beyrouth urbem cito ipsa constituatur, et hinc Euphratē usque flumen, inde Cyprum insulam archaeologicae expeditiones attingant. Interea, ubi quondam Africa Romanorum provincia exstitit, musea e solo excitantur, et P. Perdrizet Macedoniam, et I. Cousin Cariam, aliique antiquitatum rerum haud minus solliciti, Thraciam, Rhodum, Pontusque Euxini litora

explorant. Optant ipsis Delphorum s[ic] Gallorum scholae gnorū et inscrip[er]ū pulcherrimus sae redativus p[re]aceps. Sed Germani quod Wolters illa exquisita ornamen derunt, ac Wide s[ic] novas memorias e[st] mox e tenebris e[st] perquisitionibus e[st] quatum disciplinae sueverant annis, i[st] enim Heberdey do[ct]issimus, investiga reliquias Wiegand[er]i, r[ec]undis nonnulla habitum portendit, ut Lysippi, recognoscere faci regis vultus p[re]ule.

In Italia, p[re]acta sunt facta, circa colas novae sunt P. Orsio, qui ad Sannum summa dilectio adhuc de illis populi tatis disciplina optime ille, qui Barense magnitudinem historiam quirat. Interea Michel Vaticano signo n[on] excerpit, et P. Woddo docte disserit.

Pompeiana studi omnino templum anno sexagesimo instauratore lapidibus et cinereis

In Urbe denique celebranda cl. v. C[on] moderandis regii a admotae effossione passim in hoc con de stela illa, quam Urbis monumenta inscriptio late disc Ceci, qui primus e[st] tando pertinax acutiam. Non ea vis a in controversiam a temque viri doctiss quoque illa saxa foricas (has vero p[ro] Severi non longe, dierunt, binas, quae p[re]ferentia, quae similes apparent.

tuere datum sit, l scere, in muris a quibus abhinc nonne ad iudicium regia aetate in ste

Quidquid aute

riae de lacu dirui

Nova aditus paten

que inopinatas re

ignorat, nec, ide

videantur, ad eius
in planeque amicam
eius bonum pluri-
mum esse studii
umenta adiungen-
lare factis laudem
spectandas magno
de bonis rebus et
et moribus disputa-
ta Christi Ecclesia
liti, cum theologia
que administra sit
raecepta, quae cum
informant ac pul-
etiam ad theolo-
modum ad rationis
tque instructam ha-
leritas sunt existi-
esse in praestantis-
m ceteris doctrinis
isque studiis locum,
vere principem atque
riam quam maxime
um studiis, quibus
s atque artes, etsi
sunt ac rudiores,
erulent, invitant
m in contemptio-
ne est pulcritudinis
ro Dominici Mari-
subiecto, illud intel-
logiae scholam con-
serieque contineri,
nter se aptae sint
octrinam que suo
ncteque disposita;
quamobrem, iis ra-
tutari solent, catho-
commenta requi-
liceat argumenta
um artium ac do-
perspecta.

TEDESCHINI.

OGICUS,,

non minore studio
lrorum pervolvit
is, ruinas detexit,
e latebant. Galli
s atque Occidentis
veteris hominum
rum industria ipse
Octobri Romae
fuerit, quantoque
nos, qui Austricas
agna schola, prouti
f auctore, factum
mporis cursu flo-
runtibus, qua ad
proficiserentur,
tque ut ad Bey-
t hinc Euphratem
n archaeologicae
quondam Africa
usea e solo exci-
m, et I. Cousin
haud minus sol-
ue Euxini litora

explorant. Optatis amice fortuna respondet; exque
ipsis Delphorum sacris ruinis Colin et Bourghet, qui
Gallorum scholae Athenis praesunt, fragmenta si-
gnorum et inscriptionum eliciunt, dum Auriga ille
pulcherrimus saeculi v. a. C. n. arte miranda quasi
redivivus praecellit.

Sed Germani ex antiquissimo. Menidis sepulcro,
quod Wolters illustravit, atque ex vasis illis, quibus
exquisita ornamenta «geometricorum» nomen indi-
derunt, ac Wide studuit, ad Ephesinas et Smyrnenses
novas memorias et Constantinopolitana monumenta
mox e tenebris eruta, sedulo lustrarunt omnia, et
perquisitionibus et recensionibus orientalium anti-
quitatum disciplinam, quemadmodum praeteritis as-
sueverant annis, iuvavunt quam maxime. Ephesum
enim Heberdey doctor, Smyrnem Weber, litteris cla-
rissimus, investigarunt, et inter Byzantii et Prenis
reliquias Wiegand, Reinhard ac Stradonitz reperi-
erunt et calamo reddiderunt illustres Alexandri Ma-
cedonis nonnullas effigies, quarum unam regalem
habitum portendere aiunt tanta expressum callidi-
tate, ut Lysippi, vel eius asseclae cuiusdam, stilum
recognoscere facile credas, et inter cognitos hactenus
regis vultus pulcherrimum existimes.

In Italia, praeter ea quae de Graecis coloniis nota
sunt facta, circa vetustissimos earum regionum in-
colas novae sunt initae perquisitiones, praesertim a
P. Orsio, qui ad Siculam natalem terram multis iam
annis summa dilectione animum applicuit. Sed multa
adhuc de illis populis ignorantur; quare de antiqui-
tatis disciplina optime meritus duendus est M. Mayer
ille, qui Barense museum moderatur, cum Italicarum
gentium historiam assidue inter monumenta per-
quirat. Interea Michael Iatta de Laocoontis marmoreo
Vaticano signo novam a Sophocle significationem
excerpsit, et P. Wollers de felinis antiquorum signis
doce disseruit.

Pompeiana studia id maxime sibi proposuerunt, ut
omnino templum pone basilicam detergetur, quod
anno sexagesimo tertio p. C. n. terraemotu disie-
ctum, instauratorem exspectabat adhuc, cum Vesuvii
lapidibus et cinere est obrutum.

In Urbe denique, opera sollertia atque in primis
celebranda cl. v. Guidonis Baccelli, Italorum studiis
moderandis regii administrati, manus summa alacritate
admotae effosionibus in area Romani Fori, de quibus
passim in hoc commentario dictum est; praecipue
de stela illa, quam sapientes omnes vetustissimum
Urbis monumentum declararunt, cuius tamen mutila
inscriptio late disceptionem excitavit in Aloisium
Ceci, qui primus eam interpretatus est, atque in disputando
pertinax acutusque suam semper tuerit senten-
tiam. Non ea vis animo, nec tanta superbia, ut ipse
in controversiam adducar; velim tamen oculos men-
temque viri doctissimi, qui eam aggressi sunt, ad rudia
quoque illa saxa convertant, tofacea, quae inter
foricas (has vero posterioris temporis), ab ipso arcu
Severi non longe, sed externa facie, his diebus pro-
dierunt, binas, quas quidem ego viderim, literas
praeferentia, quae stelae literarum forma haud dis-
similes apparent. Quod si relationem aliquam insti-
tuere datum sit, binisque ipsis literis eas recogno-
scere, in muris aevi regii huc illuc impressas, de
quibus abhinc nonnullos annos Bruzza perite scripsit,
nonne ad iudicium erit hinc etiam accendum, de
regia aetate in stela agi?

Quidquid autem est, nunc parva ecclesia S. Ma-
riae de lacu diruitur, ad pedes Palatii, ex qua Viae
Novae aditus patere debebit. Atqui bipalia novas item
que inopinatas res interdum gestasse nec quisquam
ignorat, nec, ideo, me reprehendet affirmantem, si

paulo ulterius agitantur in tectas Palatini radices,
veras certasque veteris Romani Fori reliquias, stupe-
tibus omnibus, ab ipsis forsitan iri prolatum.

Haec hodie sat meminisse: eventus interim ex-
spectamus.

FORFEX.

FANATICUS INDORUM FUROR

Quae in superiore numero de «Fakiris» per-
tractavimus mirifica profecto sunt; sed fanaticus
Indorum furor ulterius progreditur, novaque
praebet spectacula, de quibus iure merito illud Hor-
atii dici posset:

..... credat Iudeus Apella,

nisi historiae firmarentur auctoritate.

Putant Indi morbos, calamites, mortem ipsam
ex caeli ira promanare, quae hominum culpis exci-
tetur, quaque nonnisi sacrificiis sedari possit. Huic
sententiae, quae a catholicae fidei doctrina dissidere
prima fronte non videtur, nihil recti ac nobilis est:
nam Indi tunc solum se arbitrantur peccare, quum
complexos religionis ritus non ad unguem peragunt,
proptereaque eluet eos meras nugas vehementer
dolere, et veras culpas minime sibi consciere. Agni
haedive sacrificium, ex Indorum opinione, culparum
delet maculas: sed, quum humani sanguinis praeser-
tim effusione deos placari existiment, si forte accidat
ut morbis aut calamitatibus afflentur, se gravissimo
in numina obstringunt voto. Neque opus est ut qui
adversa utatur valetudine vel fortuna ipse se diis
voeat; quum saepissime parentes aut sanguine
coniuncti votum nuncupent.

Iam vero quum australi in India solemnia Bhadra
Kali celebrantur, quae mali dea habetur, illi offertur
sacrificiorum crudelissimum ac plane infandum, quod
uncī ritus appellatur, quia fanatico, qui diro se voto
in deam obstrinxit, ferrei in tergorum musculos in-
figuntur unci. En paucis ratio, qua, non multos ante
annos, barbarum ritum celebratum accepimus.

In quodam australis Indiae loco, cui nomen Kol-
langodu, non longe a mari templum exstat Bhadra
Kali sacrum, quo per aspera viarum ex longinquis
regionibus pridie kalendas Apriles innumerabiles viri,
mulieres puerique conveniunt. Deae simulacrum auro
gemmisque exornatum ac pene obductum plurimi
sacerdotes obsequio cultaque prosequuntur, qui dona
etiam ex peregrinis templum adeuntibus magna
animi contentione excipiunt. Interea qui ad unci
ritum designantur, pavonis pennis, sericis aureisque
lemniscis exornati, elatique lactitia hac illac, tibiis
atque tam-tam obstrepentibus, salire, choreas ducere,
sibi frontem et pectus manibus percutere ac pene
insanire. Quod non solum ex furore fanatico, verum
etiam ex copioso proficiscitur licore, quo guttur ir-
rorant, ut sensus obtundant. Non procul a templo
currus ad sacrificium paratur, turri quadratae ex tra-
bibus inter se connexis exstructae fere persimilis,
quae quattuor rotis veluti basi innixa est. Summae
turri trabs adhaeret immanis magnitudinis, quae tol-
lenonis instar attolli vel deprimi potest. Trabis ex-
trema funibus devinciuntur, quarum anterioribus unci
inhaerent ferrei, posterioribus vero trabes pro op-
portunitate extollit vel demittitur. Statuta hora
victimae lumbos, ut Horatii verbis utar, fuste dolant
sacerdotes, qui ab incepto minime desistunt, nisi ver-
beribus iam terga tunuerint, quo facilius in ea ferrei
unci pervadant. Deinde, trabe in solum inclinata, in
tumidos patientis musculos unci infiguntur, eique
clypeus atque ensis, ad gloriam nescio an ad ludibriū,
ex sacerdotibus rite traduntur. Continuo fu-
nibus extollit tolleno, adeo ut miser in aera suspen-
sus, sui horrendum exhibeat spectaculum adstantibus,
quorum plausu atque insano clamore litora undique
resonent. Tunc omnes certatim funes arripiunt, quibus
utrumque currus latus vincitur, illumque, vocum mu-
sicorumque instrumentorum increbrescente strepitu,

(1) Ex populari apud Britones traditione.



F. X. REUSS.

circa templum Bhadra Kali plures vehunt ac raptant. Quae dira interea tormenta perpetiatur, qui ex trabe pendeat, me verba deficiunt, ut ostendam. Unci ritus tot iterantur, quot adsunt fanatici, qui crudeli se voto in sanguinis caedisque cupidam deam obstrinxerunt.

Notandum non semper iis, qui uncorum perferrunt tormenta, clypeum atque ensim tradi, quibus saepenumero infantem vel tenerrimum puerum suffectos esse scimus, ut plene perfecteque votum a parentibus explaretur, qui se non modo, sed etiam filiolos diro voverint numini.

Notandum insuper Indos haud raro per alios fanaticos votum solvere, qui pro preferendis uncorum tormentis pecunia donisque cumulari solent.

At paucis abhinc annis, Anglorum iussu Indiam gubernantium, unci ritus crudelitas imminuta ac quodammodo lenita est. Qui enim nunc adhibentur unci, tametsi duplicati, minoris sunt magnitudinis, pondusque corporis eorum, qui se victimas Bhadra Kali præbent, restibus magis, quam uncis sustinetur, qui tamen in fanaticorum terga infigi non desinunt.

Neque minus crudelie sacrificium deae in templo offertur, ubi non paucis pueris per ipsos parentes, qui vota numerarunt, ad aram ductis filum ex metallo chirurgi acui simile in lateris musculos a sacerdotibus infigitur. Fili extrema tenues devincunt funes, quibus filioli ab ipsis parentibus circa terribilis deae templum rite plures raptantur, dum vehementes miserorum ululatus spectatorum clamore atque instrumentorum strepitu plane obruuntur.

Ceterum non multos ante annos, quum solemnia dei Juggernaut celebrarentur, sub peringentis gravissime curri rotas, quo numen vehebatur, se prosternere certabant Indi, ut hostiae Juggernaut gratae, plane confringentur. Neque putandum est hanc barbam consuetudinem tam facile ex Indorum animis fuisse convulsam ab Anglis, qui quum verbera frusta adhibuerint, fanaticos ex curri Juggernaut rotis vix vehementissimo equitum impetu prohibere potuerunt. — Quot

quanta beneficia civili hominum communitati ex Indis proficerentur, si, qua pollut, incredibilem et animi et corporis vim in diuturnis vehementibusque tormentis preferendis, eam ad altiora suscipienda ultra adhiberent?

HERSILUS.

DE ONUPHARIO PANVINIO
DEQUE EIUS OPERIBUS EDITIS ATQUE INEDITIS

His diebus, quibus renovatae in Foro Romano effossiones, novas semper veterum monumentorum reliquias in lucem produnt materiamque admirationi et studiis eruditorum virorum praebent, mens et cogitatio nostra facile ad eos decurrit qui primi ad antiquitates Urbis Romanamque historiam cognoscendam conferentes operam, viam recentioribus aperuerunt et muniverunt.

Quo in numero ii praesertim habendi sunt, qui saeculo sexto et decimo, florentibus ubique Italiae

litteris, antiquitatis studiis laudem quaeviserunt, veluti, ut summos tantum nominem, Onuphrius Panvinius et Carolus Siganus. Hic de Panvinio nonnulla dicere in animo est, arrepta occasione ex libro nuper edito cum titulo *Onofrio Panvinio e le sue opere* (Roma, tipogr. Poliglotta, 1899), cuius auctor est David Aurelius Perinius, frater ordinis Augustiniani.

Onuphrius Panvinius, sodalis et ipse Augustinianus, non solum aetate sua sed etiam in sequentibus temporibus admirationem hominum excitavit plurimi editis operibus exquisitae eruditionis et paene immensae doctrinae plenis; idque ea aetate qua certi doctrinae vestibulum vix passibus ambiguis ingredi videntur. Natus enim Veronae anno XVI saeculi trigesimo (non vero nono et vigesimo, ut falso a multis

Fori Romani tamdiu neglecti solum effoderetur, et ruderibus ante templum Faustinae inter ipsum Forum et viam Sacram egestis fragmenta inventa essent veterum Fastorum Consularium, qui postea, a loco ubi positi, *Capitolini* vocati sunt, hinc occasionem arripuit Panvinius ut totam Romanam historiam per vestigare subsidioque variae eruditionis nova luce illustraret. Ipse primus vel cum primis, temporum ordine severo iudicio perpenso, Romanae (ut et Ecclesiasticae) chronologiae, quam dicunt, velut fundamenta iicit; ipse primus vidit quam magnum fructum percipere possent antiquitatis studiosi ex lapidibus inscriptis qui tanta copia per Italiam reperiebantur. Nil mirum igitur si doctos viros totius Europae in admirationem rapuit Panvinius editis post paucos

annos *Magistratum Romanorum* a Romulo ad Carolum V imperatorem *Fastis*, quinque libris (Venetiis, 1558), unaque copiosissimis in *Fastos commentariis* (ibid. 1558) et *Commentariorum Appendice* qua continebantur Verri Flacci consularia et triumphalia fragmenta, nec non Cassiodori, Prosperi aliorumque chronica (ibid. 1558); quibus eruditissimis operibus tamquam aditamentum accedebat locupletissimus liber de antiquis Romanorum nominibus (ibid. 1558). Animadverte, lector, haec omnia eodem anno edita esse; verum id non est satis; magis stupebis cum scias eodem quoque anno maiorem partem alterius operum corporis lucem vidisse.

Quod alterum Panvinianorum operum corpus ad Romanas antiquitates illustrandas pertinebat. Hoc in numero sunt ante omnia *Reipublicae Romanae commentariorum libri III*, quorum primo imago veteris urbis describitur, secundo civitas Romana illustratur, omnibus expositis quae ad civium ordines, ad magistratus reipublicae referuntur, tertio denique imperium Romanum ob oculos ponitur cum immensae eius administrationis commentario. Dum haec omnia Venetiis imprimenta curat Panvinius, ex Basileensi officina *De comitiis imperiorum librum* edebat aliud que opus *De Romanis principibus et iis quorum maxima imperia in Italia fuerant*, quattuor libris. Paucos post annos haec omnia rerum romanarum commentaria consilium cepit in opus quoddam amplissimum congerere, quo centum libris omnes Romanas antiquitates illustraret. Sed vastum opus haud confidere potuit Panvinius; tantummodo adumbravit, indicemque librorum reliquit (v. cod. Vatic. Lat. 6783); praefationem quidem composuit, quasi frontem aedificii, cuius pulcritudo facit ut imperfectum opus magis doleamus. Hanc edidit Maius in *Spicilegium Romani* tomo VIII, qui tam magni faciendam eam censebat, ut studiorum in gratiam saepius recudendam esse diceret. Huius immensi operis pars esse debebant inscriptionum latinarum libri XII; qui si confecti essent, primum specimen futuri fuissent *Corporis illius* quod temporibus nostris Mommiseni praesertim opera in magni monumenti molem excrevisse dicendum est.

Denique sermo sit nobis de operibus Panvinianis ad Romanam religionem pertinentibus. Iam cum *Fastis* ediderat Noster libros singulos *De ludis saecularibus*, ac *De Sibyllis et carminibus sibyllinis*, quibus futuris




Titiani tabula Onuphrii Panvinii imaginem referens.
(Photographice expresserunt Fr. Alinari - Florentiae).

studii praeludeb suscepit, quae superstitutionis comp sacris epulis, De circensibus, De lu De agonibus. Haec circensibus multo twerpiae, 1596), in quae fortasse etiam non inutile erit inde.

Omnia considerationis vi exagge tiquos vel cum re conferam? Eius m animis nostris. Neq rinus qui libro, que ductus, tam magna descripsit et in lu diligentia posita fudi; quae contra nonnunquam lecta a recta rerum qua

Florentiae.

Invident homines cum se rejectos sentiunt superioribus invidetur tolerantiis se iactant, stantia dignitatis, aut



Prospectus Vaticanae aulae vulgo "della Segnatura."

studii praeludebat. Mox alia argumenta tractanda suscepit, quae sub titulo antiquae religionis sive superstitionis complectebatur, scrispsitque: *De feriis, De sacris epulis, De sacrificiis et divinatione, De ludis circensibus, De ludis scenicis, De munere gladiatorio, De agonibus*. Haec opuscula, si excipias libros *De ludis circensibus* multo post auctoris mortem editos (Antwerpiae, 1596), inedita adhuc iacent in bibliothecis; quae fortasse etiam in tanta luce huiusmodi studiorum non inutile erit indagare, in ordinem digerere, vulgare.

Omnia consideranti num videbor Panvinii laudes orationis vi exaggerare, si vel cum Varrone inter antiquos vel cum recentioribus De Rossi et Mommseno conferam? Eius memoria vivat igitur et colatur in animis nostris. Neque debita laude fraudetur Fr. Perinius qui libro, quem supra memoravi, sodalis amore ductus, tam magna diligentia vitam eius et opera descripsit et in lucem collocavit. Utinam eadem diligentia posita fuisset in plagulis opusculi corrigendis; quae contra pluribus scatent erroribus, hique nonnunquam lectorem possunt transversum agere a recta rerum quae dicuntur intelligentia.

Florentiae.

F. RAMORINO.

Invident homines quam maxime paribus aut inferioribus, cum se reiectos sentiant, illos autem dolent evolasse; sed etiam superioribus invidetur saepe vehementer, et eo magis, si intolerantius se iactant, et aequabilitatem communis iuris, praestantia dignitatis, aut fortunae suae transeunt.

(CIC. *De Orat. II.*)

DE VATICANA AULA

QUAE VULGO « A SIGNATURA » APPELLATUR

VATICANA aula, in cuius dextera pariete Sanctius picturam exegit a disputatione de SS. Eucharistiae mysterio vocata, aulam *Signaturae* nomen obtinuit, cum antiquitus gratiarum sententiarumque decretu ibi a Pontifice subscriberentur. Verum Iulius papa II iam in suam bibliothecam eam converterat, cum Raphaelem Sanctium, qui via annum aetatis sua vigesimumquintum attigerat, iussit Vaticanas aulas arte sua condecorare. Igitur anno 1508 iuvenis pictor opus aggressus, ex ipsa bibliotheca sumpsit initium, cumque iam eius lacunar a Sodoma pictore fuisse aptis lineis divisum in partitionum limitibus, figuram ipse effinxit. Theologiam itaque media in fronte posuit, cui « divinarum rerum notitia » titulum subscriptis, quae dextera manu homines disputationem habentes indigat. Sed tamen tabula falso hoc nomine vulgo praenosuit, cum triumphus Eucharisticus verius ferme dici possit. Personas enim quae altare undique circumdant ex universa Ecclesiae historia Sanctius est mutatus ab Adam usque ad Aligherium poetam, quem lauro coronatum dextrorsus retulit. At forte denominatio illa ex eo inventa est, quod plerique circumsedentium Ecclesiae maximus doctores apparent, veluti sancti Gregorius, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Thomas Aquinas, Bonaventura: quibus accedunt et Petrus Lombardus et Duno Scotus. Verum quid ad disputationem hanc theologicam habeant sanctus Franciscus, vel Frater Angelicus pictor suavissimus, vel Aligherius ipse, protinus latet; quare iure credimus non aliam auctoris mentem in tabula exaranda fuisse, nisi summarum mentium venerationem in SS. Eucharistiae sacramentum per saecula praestitam evincere, qua tributum fidei velut maximum in sacrosanctum mysterium coloribus et arte redderet.

LAELIUS.

QUID SIT DE TELEPATHICIS CASIBUS SENTIENDUM

Uta praestemus, quae alias polliciti sumus, de telepathia iterum locuturos, nonnulla iuvat in primis exempla enucleare, eaque modis et adiunctis praecipua, quo licet de re gravissima facilius proferre iudicium, atque inter propositas explicaciones arguentem quamdam complecti.

Insolitus ferme est, neque audivimus hactenus tam mirum alibi contigisse prodigium quam quod in *Arena*, Novi-Eboraci diario, Austinus doctor retulit.

Vir quidam, summo mane, in lectulo tranquillo somno demersus iacebat, cum repente nervorum ignoto quodam impulsu excitatur. Ipsi ad plenitudinem sensum brevi reverso, tamquam fratris persona, qui pluribus milliariis ab urbe aberat, alloquens appetat: se tunc mori, sed velle prius nonnulla fratri praecipere, ut quae in bonis essent rite dividerentur. Itaque prolixo sermone dictitasse quot in partes bona distribuenda, vel quibus personis aut operibus essent addicenda.

His dictis evanuit visus, at eius motus et sermones alter repositi in expergesfacti mente manserunt, ita ut uxori omnia enarraverit, quae tamen mariti eloqua veluti delirantis irrisit. At paucis post horis ecce telegraphica chartula advenit fraterni obitus nuncia, ea adamassim hora consumpti, qua sese obvium dederat. Tunc determinatus vir ad defuncti urbem statim properat; at via incidit forte in tertium fratrem, et ipsum profecturum, cui eadem omnino acciderant: visus, hora, sermo, bonorum distributio subtiliter una fuerant. Iamque pervenerant ambo ad aedem defuncti; et a familiaribus extremas morbi vices sciscitantes, fratrem paucis ante obitum momentis nonnisi brevissimo mentis deliramento laborasse audierunt, quo sese autumaret de patrimonialibus bonis distribuendis cum utroque germano disserere.

Qui itaque haec sedulo examinaverit, agentem non alium fuisse nisi morientem plane percipiet, qui cum carere quam maxime cupisset ne familiaria iurgia orientur, superna quadam vi adiutus est, ut quae iuste optaverat assequeretur. Neque enim physiologus quisquam, neque spiritucae artis peritus unquam credet, aegrotum in supremo mortis discrimine tantis adhuc viribus valuisse, ut magneticos rivulos in dissitos tramites ad absentes longissime fratres dirigeret; et in maiorem etiam absurditatem inciderit ille, qui binis fratribus, simultanea telepathia correptis, quasi propheticum mentis nitorem adscriperit. Quibus plane infertur telepathicum agentem, quem « intermediarium » iuvat appellare, spiritum natura esse oportere, intellectu praestantem, ut mentis formam quamlibet complecti, eamque ad subiectum usque deducere valeat.

Haec profecto non relatum tantum superius exemplum ostendit, sed et reliquum densissimum agmen, ex quo fortuita manu deligimus:

Salls quidam adolescens, natione Polonus, Gandavi agrotus degens, matrem Bruxellis morientem videt; idemque Hosmer matronae contingit, cui famula animam agens appetat.

Philippus Weld, iuvenis Anglus, dum unda corripitur, patri et sorori Southampton deambulantibus subridens adest laetoque adspectu, et cum sancti Stanislai Kostkae effigie iucunde colloquens.

Mountain Sim, Americanus, cum Fort Collins in urbe animam ageret, Bishop dominae, Interlaken in Helvetiae oppido, per quietem spectandum sese offert, veluti amicus qui viaticis illius per orbem incontinenter errantis domicilium tua mente cognoverit.

At miranda prae omnibus species de russa illa muliere relata, quae sibi fratri, classario speculatori, in mare prolapso, subvenire visa est, eo ipso in loco ubi revera undis correptus ille obiit, licet magis quam tricena millia passuum distaret.

Quid igitur potest adhuc superesse dubii circa spiritualem agentis telepathici naturam, quo sit ut locus patientis tam praecise cognoscatur, et tam cito voluntatis actus ad illum usque transmittantur?

Atqui nulli sunt spiritus qui haec perficere valeant,

7]

LOLLIUS

SIVE DE PROVECTA LATINITATE

Treb. — Credo, hercle: nomine enim prius nos capit summorum virorum, mox illos contemnit, deridet atque seponit, oblitus Quintiliiani sententiam: « modesto tamen et circumspecto iudicio de tantiis viris pronuntiandum est » (1).

Pis. min. — Ad rem ista non pertinent. Neque enim scripta iudicamus, sed in moreni gentis inquirimus. Quare et mihi liceat, etsi huic fortasse aliena rei, Senecae verba in memoriam reducere: « nemo sine vitio est: in Catone moderatio, in Sulla clementia, in Cicerone constantia desideratur » (2). Nunc autem peto a vobis, amici, placeatne decreto Philippi una cum Trebatio subscribere.

Quum omnes, obstupescente sene, serio annuisserint; — Perge, Lolli! — inquit adolescens — neve te a disserendo deterreat eorum reprehensio, qui in iudicio ferendo de litteris, certos sententiae fines et quaedam velut pomoeria sibi posuerunt, quae si quis egredi audeat, introspexisse in aedem Deae Bonae existimandus sit, a qua mares absurtebantur. Contra vero quid optabilius quam ut opinio confirmata veritati cedat, funestumque illud inter philosophiam et litteras dissidium tandem aliquando tollatur? Macte animo, Lolli, causamque nostram tuere sic, ut omnino liqueat, iniuria litteras inter minores disciplinas recenseret.

Tum Lollius: — Tria sunt quae humanae mentis dominium quodammodo affectant, doctrina, scientia, sapientia. Doctrina quidem nihil est aliud nisi rerum apparatus, quas fueris edocet: eam nos fere culturam aut erudi-

(1) Inst. X, 26.

(2) Controv. XII.

nisi aut ipse Deus aut angeli, sive boni sive mali, qui ipso iubente vel permitente moveantur; nulla est enim humanae mentis cognita vis, quae tales effectus longe, vel etiam proxime, queat ex se ipsa proferre.

Itaque haud procul a veritate abesse censemus, affirmantes in telepathia, quae sponte evenit, bonum spiritum agere, in illa contra malo artificio parta malorum spirituum operam supervenire, ut de Delphica pythonissa, de spasticis Gallicani monasterii ad Sanctum Medardum, de monialibus gallicanis a S. Ursula in domo Loudunensi contigit. Causae enim huius phaenomeni nulli sunt hactenus nota, et celeberrimi etiam in medicina viri suam pariter ignorantiam hac de re profitentur, veluti Petetius, Ochorowiczius, Braidius.

Quoties igitur quis aliorum mentem suo arbitrio flectere conetur, plane sciat sese impossibilita tentare; quod si interdum optata obtinuerit, non ferme suis viribus, verum ignotae causae virtutibus erit assecutus. Sed merito proinde credimus ex hisce telepathicis experimentis acerrimum conscientiae cruciatum viro agenti, qui ea instruxerit, exsurgere oportere; vir enim huiusmodi, cum nequeat sibi adrogare optata se posse suis tantum viribus consequi, intelligentis spiritus virtuti confusis rem aggreditur. At cum spiritus hic bonus spiritus esse nequeat, quisquis telepathiae experimenta tentaverit ad mali spiritus auxilium se configuisse noverit.

R. SPINA.

VITA FUNCTI VIRI CLARIORES

Ferdinandus Di Bisogno, ex antiquo neapolitano genere ortus, multis stipendiis habitis, quo animo erat nobilis, Mediolanum privatus se recepit, ibique liberos doctrina ac pietate erudiens reliquam vitam exegit. Egregia multisfariaque scripta reliqui, in quibus amor patriae idem ac religionis feliciter conspirant.

Aloisius Trombetta S. R. E. Cardinalis diaconus utriusque iuris peritissimus.

Dominicus Farini annos quinque et triginta inter publici Italorum coetus oratores versatus, eidem coetui primum, deinde vero senatu praefuit.

tionem dicimus. Scientia vero est cognoscendarum rerum complexio, a quibusdam principiis prono veluti alveo fluentium, ut patet ex ipsa vi verbis; est enim scire a *scire sequi, sequi* — unde logicae deductiones dictae sunt latine consecutiones. Sapientiam denique sic definiunt, ut sit naturalis quedam mentis animique facultas optima quaeque intuendi eaque discernendi, quae in omni re maxime deceant. Est igitur proprium doctrinæ ab aliis tradita persequi ac retinere; scientiae est investigare rerum seriem atque naturam; sapientiae demum naturam ipsam intueri atque sentire. Possunt autem tria haec esse sciuncta, suntque frequenter, ut quotidiana docent exempla plurimorum, quos videmus alicui sive scientiae vacare, sive doctrinæ, nec tamen esse sapientes; alios contra, qualis horatianus ofellus:

Rusticus, abnormis sapiens crassaque Minerva.

Iam quis negaverit, triplici, quam diximus, facultate contineri litteras? Doctrinæ primum sibi vindicant patrimonium, quippe « ex rerum cognitione esflorescat et redundet oportet oratio » (1). Scientiam quoque complectuntur; nec modo remotiorem ceterarum rerum, sed etiam propiorem illam verborum, quae philologia dicitur, itemque notandi animadvertisse perarduam disciplinam eorum quos criticos vocant. Sapientiam denique scientiam doctrinamque complexa, omnis veri pulchritudine mater, gignit artificem, cuius munus est vitae veritatem naturaeque motum omnem, non imaginem umbram referre. Sed haec dixi brevius quam si hac de re una disputarem. Est enim hic locus late patens idemque subtilior quam plerique suspicari possint. Cupio autem refelli; quid enim laboramus nisi ut veritas in omni quæstione explicetur?

(1) Cic. I De orat. VI, 20.

Dominicus Cucchiari, senator et ipse, Italics copius praefectus, iamque dux strenuus, Labrone gravis annis naturae concessit.

Walrond, Russorum tricharchus, Vindobonae obiit, quo valetudinis gratia se receperat.

Franciscum Cirio, humili loco natum Nicaeae in Pedemonte, neque mare magnum neque ignara lingua a commerciis prohibuerunt. Tenax enim propositi vir totum mercaturae se addixit, et in rebus sive quae importantur sive quae exportantur ita quotidiano usu est versatus, ut non modo in Italia, verum etiam apud exteriores magnum nomen sibi pepererit, eiusque consilium exoptatum et magni habitum fuerit.

Michael Kachanov, qui Russorum Caesari a consiliis fuit in rebus publicis, magnam sibi partem sumpsit in reformationibus illis, quae liberales dicuntur; ipse primus principi suscit ut lex abrogaretur, qua publici patrati sceleris sonentes in Siberiam deportarentur.

Quum huius commentarii numerus proelo iam esset commissus, funestissimum nuncium allatum:

R. P. Maurus Ricci
Scholis Piis Praepositus Generalis

arterosclerosi corruptus, quae iam diu eius vitam minabatur, VI kal. Febr. Romae decessit.

Viro praeclaro qui in studia litterarum toto animo omni aetate incubuit et gloriam nomenque late per orbem sibi acquisivit; *Vox Urbis* nostræ amantissimo et optime merenti tributum honoris atque obsequii in proximo numero solvemus.

I. F.

EX RUSSIA

De calendario apud Russos immutando.

VOBIS me placitum spero, si misero epistolam quae utrisque iucunda futura sit, praesertim cum tam longe deveniat, et quaestionem summis quasi digitis non attingat, sed libet. Quae enim haec dies idus Ianuarias vobis, initium anni mihi, immo nobis omnibus, quotquot Russi Caesaris paremus imperio, designat. Verum, quic-

Treb. — Incendor equidem tui audiendi desiderio; tibi enim profecto inest et ingenium satis acre et orationis haud inelegans copia. Videris tamen pompa ipsa verborum multa dissimulando obvolvere, quae forte non satis adhuc explicata sunt. Nam et verum et pulchrum — poteras melius dixisse bonum — sapienti esse propositum, id quidem nihil dubitationis habet. Quin etiam hanc fere litteris esse cum sapientia societatem aequo animo patiar: tametsi raram facit mixturam cum sapientia forma. Verum quid cum triplici eo munere poetis commune sit, si pulchrum excipias a bono saepe disiunctum, id fateor me non intelligere, nisi forte Ludovici Ferrarensis deliramenta illa lucem aliquam intulisse veritatis putes, aut quod multo interest pluris — moribus hominum emendandis profuisse. At nonne his potius illud aptari comode potest: « pulchra species, sed cerebrum non habent »?

Loll. — Verum a vero secernas oportet. Alterum enim verum est necessarium, immutabile, aeternum, quod ubi semel cognitum est atque exploratum, patet profecto poetis non minus quam philosophis. Huic tamen provinciae, si mathematicos excipias, haud scio an a Platone ad nostra usque tempora, novi quidquam mortales vires attulerint. Alterum veri genus est quod ad eorum vitam quaecumque in hac rerum universitate sunt et moventur, ad naturae vicissitudines, ad humanae societatis errores, vitia, virtutes, ad singulorum studia et ingenia refertur. Haec omnia, quae a poetis varie tractantur, necesse est a sapientia derivari. Quamobrem non absurde de Homero dictum legimus:

Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non, Planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit (1).

(Ad proximum numerum).

P. ANGELINI.

(1) Hor. II Ep. II, 3.

quid sive
exordio tu
lectio un
gurio, quo
redire vide
ingiter nov
dies ii cal
unaquaequ
vitate et N

Hisce a
nefasque e
benigniss
ea venio,
praescripsi

Vos re
lescentes n
stici, regi,
quaestiones
rent, agitat

dine egerin
musque m
videretur. I
rex, primus
tot regna,
id adjudicata
surgens cul
nibus aman
suam: For
rex paret,
contra r
deatur. — A
mium ads
dominum,
tissimis os
sauri, et p
conia laud
certe histo

Haec a
rante — cu
tuenda pac
optimum p
bant gratu
Principem
tatem astr
utuntur, ca
calendario

Nam p
incommodi
ad commer
turac sunt,
quoties cu
agimus, qu
principiatu

Neque c
ceptum que
nibus est ec
schatis dies
Martii addi
disciplina,

Uti autem
stola ad Ma
Nicaeno iu
driæ astrol
eruditis vir
tutam Pasc
omnibus ve
dam. Patet
sententia, ac
nomiae ra

Quum p
praetermiss
dies ultima
diem defer
tatem redu
astrorum iu
tuitur iuxta
praestantiss

italicis copiis
annis naturae
obiit, quo va-
eae in Pede-
a commerciis
mercaturae se
e exportantur
Italia, verum
eiusque con-

a consiliis fuit
formationibus
cipi suasit ut
s in Siberiam
lo iam esset
vitam mina-
toto animo
te per orbem
no et optime
proximo nu-

I. F.

itando.
stolam quae
cum tam
digiti non
s Ianuarias
us, quotquot
erum, quic-

i desiderio;
cre et ora-
pompa ipsa
e forte non
et pulcrum
esse pro-
Quin etiam
tem aequo
m sapientia
pōtēs com-
disunctum,
Ferrariensis
s putes, aut
num emen-
aptari com-
n habent? »
t. Alterum
ernum, quod
et profecto
amen pro-
an a Pla-
m mortales
ad eorum
ate sunt et
anae socie-
udia et in-
tractantur,
on absurde
quid non,
(i).

GELINI.

quid sive rei, sive in re sit, iam ab ipso epistolae huius exordio tum urbanitas morum, tum religionis mutua dilectio unum dumtaxat inter nos idemque conficiat augurio, quod vobis exhibeo, scilicet uti centies dies hosce redire videatis vobis vestrisque iucundos et prosperitatis iugiter novae plenos, et nuncios insuper adventantis, sive dies ii calendas, sive idus habeantur, aut appellentur; unaquaque enim dies in manu Domini est, cuius Nativitate et Nomine et Epiphania collactamur.

Hisce autem persolutis, quae mores nostri postulant, nefasque est cuique nostrum praeterire, et Panaghiae, benignissimae Russiarum dominas, obsequis datis, ad ea venio, quae et scribendi causa fuerunt, et iis, quae praescripsi, quasi minusculis athomis inseminata sunt.

Vos recordamini certe illud biblicum, quo tres adolescentes narrantur nobiliores addicti, cui vigiles domestici, regi, dum ipse quiesceret. Submissis labiis inter se quaestiones interdum gravissimas, ne tempus otio tarent, agitabant, quo factum est ut olim illam de fortitudine egerint, qua decerneretur praestantissimus robustissimusque manu, quis esset, aut aliquid quocumque tale videretur. Iudicium regi experrecto servatum. Fortissimus rex, primus inquit, habendus hic noster, cui tot exercitus, tot regna, tot populi, tot Victoriae ubique terrarum relatae id adjudicant. Fortissimum, dixit alter, mihi vinum est, cui rex ipse parere debet, et paret, quando laetus et convivio surgens cubiculum recubatur suavissime petit, curis omnibus amandatis. Tertius autem hisce sententiam protulit suam: Fortissima rerum omnium veritas, cui non modo rex paret, sed ipse Deus, qui cum veritas sit, veritatem contraire non potest, ne violentas inferre sibi manus videatur. - Atque huic tertio rex ille potentissimus praeimum adscripsit. Hic autem nos Augustum habemus dominum, qui non scripto, sed facto dignum se excellens ostendit praemiis, quae, ipsi nullius agenti thesauri, et pretiosissimis omnibus affluent, praeter praeconia laudum, nulla mihi aliisque persolvenda supersunt; certe historicis concelebrantibus multa erunt.

Haec autem nobis, Augusto Caesare feliciter imperante - cui de bellis abrogandis omnino, iugique constituenda pace inter populos aeternum nomen erit, quemque optimum piissimumque ea quae propositum, volutum probant gratumque gentibus tradunt fausta appellatione: Principem pacis nominandum - certe contingent, ad veritatem astronomicam, qua ceterae christianae gentes utuntur, calendario redacto, Gregoriano nempe in usum calendario advocate, Iuliano abrogato.

Nam praeterquamquod' Iuliana illa ratio non levius incommodi est in omnibus, quae cum reliquis populis ad commercia epistolarum et negotiationum et mercaturae sunt, in ipso nostro imperio toties molesta habetur, quoties cum Finladicis et Prisviliis provinciis aliquid agimus, quarum in more Gregoriana enumeratio obtinet principatum.

Neque enim ultra valet illud Nicaeni concilii praeceptum quo « dies Paschatis celebrandus Christianis omnibus est eodem die, corde uno et mente una »; cum « Paschatis dies primae dominicae post xiv diem lunae mensis Martii addictus sit, enumerandus ecclesiastica Romanorum disciplina, et astronomica Alexandrinorum doctrina ». Ut autem docet monetque sanctus Leo Magnus in epistola ad Marcianum imperatorem anno Chr. 455, concilio Nicaeno iubente, Alexandrinus episcopus (tunc Alexandriae astronomicorum studiorum erat sedes) quovis anno, eruditis viris auditis, denunciabat Romano episcopo statutam Paschati diem, Romanus autem Pontifex ecclesias omnibus vel remotissimis annunciatat solemnem habendum. Patet hinc rem omnem, ipsius Nicaeni concilii sententia, ad proxim Ecclesiae totius, et ad veritatem astronomiae rationis rem detulisse.

Quum autem manifestum sit in calendario Iuliano praetermissa momenta temporis illud cumulasse, ut quae dies ultima mensis Februarii esset in xiii mensis Martii diem deferatur, nihil iustius ac rectius quam rem ad veritatem reducere; non enim tempus instituitur in orbibus astrorum iuxta calendarii placitum, sed calendarium instituitur iuxta temporis leges. Et fuerit quidem Iulius Caesar praestantissimus Romanorum, et scriptor optimus, et im-

perator consilio et manu fortissimus, trahebatur ille orbe terraquo per siderale spatium quo leges astris a Deo constituta trahebant, non orbem ipse, pro suo iubitu qua placisset, rapiebat.

Hinc errore illo nunc fit, ut luna mensis Martii suum perderit locum, Aprilis mensis luna subeunte et usurpante, et apud Julianum calculum Pascha non prima post xiv diem martiae lunae dominica, sed post xiv mensis Aprilis lunae diem dominica celebretur; quod quidem ita rem torquet, ut Maio mense Pascha etiam aliquando solemnis sit, gratulante mense hoc honore sibi tributo, Aprili et Martio mensibus de solio et sede depulsi.

Et caverat iam inde hoc scientiarum, quam vocant, Academia Imperialis, quae in metropoli Russorum est, cum Nicolao I imperatori libellum traderet « de necessitate et utilitate reducendi Julianum calendarium ad exemplar Gregoriani », eodemque libello exponeret qua facili ratione omnia ad veritatem in Ecclesia nostra possent reduci.

Quid? Exemplum Petrus ille Magnus apud nos dedit salubrium immutacionum huiusmodi; nam olim nobis initium anni calenda Martiae indicebant; postea calendas Septembres; ipse iussit ad morem vestrum calendas Ianuarias; talesque sunt nobis, qui tamen errore calendarii idus Ianuarias pro Ianuariis calendis obtinueris, frustra arguentibus diebus unius ferme horae spatio auctis atque productis.

Qui Princeps pacis iam apud omnes, Russiae nostrae magna cum laude, celebratur, idem, calendario Iuliano in Gregorianum immutato, Princeps veritatis celebretur, ac tamdiu vivat ut, annorum decursu multorum, Gregoriani temporis et calendarii diligentiam accuratissimam validus incoluisse experiatur!

Valete.

D. LASCARIS.

DE FESTO PURIFICATIONIS B. M. V.

EIUSQUE ORIGINE

FESTUM Purificationis B. M. V. magna complectens mysteria in Ecclesia Catholica et mensis Februarii die solemniter celebratur.

Nam Virgo Dei Mater qua solebat humilitate, prima semper in opere, ac tamen ultima in ordine, se legi subiecit, qua mulieres Iudeae adstringebantur iuxta verba Levitici, sese, purificandi gratia, templum post quadraginta a partu dies adire. Quamquam, uti sanctus Thomas animadvertisit, B. V. non tenebatur illo praecepto, sed voluntarie purgationis ritum implavit. Ut igitur habet Rabanus Maurus, « statuta est in Ecclesia festivitas haec, quia Matrem Domini, secundum legem, hac die constabat purgari, non quod aliqua legali purgatione indigerit, quae Dominum gestabat legis, sed quia Iesus non venit legem solvere, sed adimplere ».

Appellatum quoque fuit hoc festum *Oblatio Christi ad templum*, ita ut Macri in suis notis circa ecclesiastica vocabula, verbo *hypante*, vel *hypapante*, scripserit Graecos hoc nomine festum Purificationis intelligere ob senis Simeonis occursum in Virginem, et Iesum in templo. Hac itaque de re in *Libro Pontificali* Sergii Summi Pontificis, in notis a R. P. D. Vignali huic libro additis, legitur: « quod festum hoc olim sub titulo sancti Simeonis celebrabatur; ut hodie apud Graecos, et apud catholicos Ambrosianos, tamquam festum Domini celebratur, dum Ecclesia Catholica Romana festum hoc semper inter festa B. M. V. enumeravit ».

At quo tempore constituta sit, quo primum auctore solemnis haec dies, neque manifeste patet, neque iure bono decerni potest.

Nonnulli enim pro *Lupercalibus* institutam fuisse praesumunt. Praesumunt, inquam, quia demonstrare minimi possunt. Nam Lupercalia festa, quae a rege

Evandro, ut putabant, instituta Romae mense Februario celebabantur deo Pan dicata, a Summo Pontifice Gelasio I, circa v saeculi exitum, certe vetita fuerunt, uti Baronius aliique docent. Sed minime sequitur Summum Pontificem illum auctorem huius festi Purificationis fuisse; nam et sapientissimi scriptores negant, nullamque mentionem de re invenire datum est in commentario ab ipso Baronio in annalibus vulgato, et sub a. Chr. 496 inserto. Praeterea alii asserunt festum Purificationis ante hoc tempus celebratum, idest Iustino imperante ac saevissima Constantinopolim urbem peste vastante. Immo Pagius Senior anno Chr. 544, n. 7, et Martine, *De antiqua Ecclesiae disciplina*, cap. 15, aiunt, festum hoc in aliis etiam civitatibus Orientis inde agi, ut in Syria, in Cypro et apud Coptas, qui iugiter affirmabant ipsum ab Apostolis originem duxisse. Possumus ideo exclamare cum Augustino: « Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilii institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum certissime creditur! »

Sed nec pompe, quae hac die duci solet, origo ad Lupercalia referri potest; in iis quippe solemnibus cives faces accensas manu haud gerebant; potius contra in mentem revocanda erunt *Ambarvalia*, quum a populo cerei accensi manibus praeferrrentur, et urbem sacerdotes et addicti circumirent. Huic quidem sententiae accessere Hugo, Menardus Rocca, Sassi, aliique, pompe huius originem longe ante Sergium Pontificem, cui ipsa tribuitur, vindicantes. Ceterum hoc asserentes minime ausi sunt negare ab eodem Pontifice pompe ritum et ordinem institutum; certum est enim ipsum auctoritate sua mandasse ut singulis huiusmodi festis ex ecclesia S. Hadriani cleris discederet, et, ducta pompa, iuxta ordinem, S. Mariam Maiorem peteret. Confirmat *Liber Pontificalis*: « Constituit autem ut diebus Annuntiationis, Nativitatis et Dormitionis Sanctae Dei Genitricis, semperque Virginis Mariae, ac sancti Simeonis, quod *hypapante* Graeci appellant, litania exeat a S. Hadriano, et ad S. Mariam populus accurrat ».

F. C.

A Caeremoniis Aulae Apostolicae.

NOVUM AD ORIENTEM ITER PROPOSITUM

VERUTUM illum tramitem, quem naues omnium nationum sunt hactenus sequatae, Londino ex Anglia per Brundusium ad Indias, Bombay usque urbem productum, longum nimis viatoribus et commerciis multo iam tempore omnes querebantur, brevioremque viam expostulabant. Quod quidem Balcanica natio, copiis haud validis, sed publicarum rerum prudentia satis praedita, prima animadvertisit; Rumeniam dicimus, cuius gerendorum commerciorum consilia hunc a multis iam annis finem spectant, ut Indianum epistulare et nummarium commercium per suas terras traducatur. Hoc itaque proposito, pons per Danubium apud Cernavoda urbem extractus est, ferreum iter ex Bukarest moenibus ad Constantiae portum in Ponto Euxino deductum, ex Constantia denique ad Byzantii fretum navale iter constitutum, quod navigio *Meteor*, germanico gubernatore moderante, expleretur.

Facile, inde Rumenis fuit ferrea Orientis itinera in commerciorum curriculo superare, ita ut maximis merciis acervi qui Constantinopolim petunt, terrestribus tramitibus iam derelictis, per Rumeniam transeant. At nulli incipiis huiusmodi potius faverunt quam Germani, qui commutandarum rerum munus etiam per Rumeniam sibi partim assumpserunt; iamque mercium fasciculos Constantinopolim advehunt longe minore quam Austriacis Tergestino itinere liceat. Paulo post vero, cum Rumenia *Ignatium Florium* italicam navem a navalii collegio Florio

et Rubattino emissem, *Principi Mariae* nomen illi indidit, et maximum navium numerum angl's opificibus construendum commisit. Haec inter portus Constantiensis instauratus est ipse Carolus dux adstitit, qui quidem Rumenos nautas maria superbe persulcatores proxime sponponit.

At desunt adhuc Rumenis navibus moderatores satis periti, qui, veluti Muller ille Germanus, navalium itinerum scientia calleant; quo factum est, ut eiusmodi itinerum nondum ea pecuniaria utilitas fuerit, quam Rumeni spe-ravissent.

Quare novum iam consilium iri susceptum tradunt actu facilius, quo celebre illud celerrimum iter, cui vulgo *Indiarum bulga* nomen inditum, Ostendam, Vindobonam, Budapest, Nisum in Serbia, Ziberc, Salonicum, Alexandriam, Suez civitates attingens, ad Bombay usque portum perducetur, quod quidem iter triduo minus temporis explebitur, quam hodierna per Brundusium via expostulat.

Quae si Angli aggressi fuerint, poterit saltem ab austriacis navibus Salonicum ex portu usque ad Alexandriae sinum iter expleri, et pretium quod hodie Itali ab Anglico gubernio ob *bulgae* illius transitum lucrantur austriacas in crumenas vicissim cedere.

A. L.

ANNALES

Caesaris Russorum litterae - Germanorum res - Osman Digma captus ab Anglis - Bellum ad Transvaal et Philippinas insulas - Americanae perturbationes - Ex aedibus Vaticanis.

Quae novo hoc anno, Russorum stilo, ineunte Nicolaus imperator Mouraview comiti, rerum ad exteriores administratio, solemniter rescripsit, de pacifice eiusdem imperatoris animo iterum testantur, praecipuumque Russici populi esse munus affirmant, ut quas terras in extremis Orientis partibus armis ipse tenet, artibus industriisque excusat.

Optime itaque his dictis vanos cessisse gavisi sumus bellicos rumores, qui ob coactas in dies circa Indiarum Sinarumque fines Russorum copias magis magisque invaluerant. Quamvis Bombay ex ipsa, Indianum urbe praecipua, innotuit naturalium magnam manum Chota-Nagpour e loco profectos militaria castra occupasse, ac vix militum occursu disiici potuisse. Pestis vero famesque miseras illas provincias late grassantes, in dominantes Anglos iras et odia populorum incitant.

*

Haec inter Maceo portum, quem Lusitani antiquitus in Sinis tenent, proxime iri emptum a Wilhelmo Germanorum imperatore dictant, ut munitionibus et tormentis deinde firmatum germanicae potentiae quasi propugnaculum in Sinesibus maribus fiat. Navigia autem quae fuerant circa Africæ meridionalis litora ab Anglis capta, Germanis iam sunt restituta.

*

In Sudan et in Aegypto repressae hactenus irae palam factae sunt, et per plateas civitatum plebis comitia habentur in dominantes Anglos infesta. Sed dum imibi consultur, ad Tokar urbem in Sudan Osman Digma, novus Arabum propheta, ab Anglorum equitibus capitur et ad Suakim portum adducitur.

*

Sed et ad Africæ meridiem Anglis fata aliquantulum in melius cedere, cum scribimus, videntur, praecipue postquam ingens exercitus, Warren duce, Tugela flumen incolmis transiisset et maxima ballistarum vi adiutus, colles montesque paulatim Ladysmith versus occupasset; quam tamen urbem Boeri obsident adhuc.

Non eadem vero de bello quod Americani ad Philippinas gerunt dicere licet, quorum copias ad S. Matthaeum et Paranaqua, prope Manillam urbem, barbari adorti sunt et multorum militum caede fuderunt.

*

In S. Dominici republica, cum detrimenta a Gallis accepta iam fuissent soluto aere instaurata, legatio Gallorum apud rempublicam est restituta: at interdum ex Venezuela timores succrescent; qui enim publicum aerarii argentarium locum moderantur, gubernantibus pecunias recusarunt: quapropter commercia omnia iam in supremo discrimine versantur et ab Europaeis passim depositur, ut classis saltem ad portus reipublicae ex Europa mittatur.

*

Primi qui piam Anni Sacri peregrinationem ad Urbem expleverint Ligures sunt, quos Pontifex in Xystinum sacellum coram se advocavit, et paterna caritate adlocutus est. Die autem Ianuarii mensis decimaquarta cardinales omnes Romae degentes, certe qui curiae pontificali adscribuntur, benigne sunt a Pontifice accepti, cui in initium iam feliciter annum vota et auspicia obtulerunt.

POPLICOLA.

~~~~~

### PUBLICI PER ORBEM COETUS

LEGIBUS FERENDIS

**I**n Austria, perfectis tandem diuturnis laboribus quibus hinc austriaci inde hungari legati operam dederunt, probatisque Goulochowski consiliis de triplici foedere pro Austriae-Hungariae utilitate non immutando, administris omnes, qui munus ad unguem expleverant, auctoritatem suam pariter in imperatoris manum deposuerunt. Post quae ipse imperator novum administrorum collegium legit, ita ut gentium omnium quotquot imperium incolunt legati quodammodo in illo recenserentur.

In Gallia de operariorū desertionibus magno partium studio in comitiis actum est, ex quo tamen administrorum praeses Waldeck-Rousseau victor discessit. Interdum vero ad octo millies centena millia libellarum sunt coram populi oratoribus expedita tum pro navigiis exstrenuis, tum pro patriae litoribus validius munierunt.

In Germania oratio lectissima a comite de Bulow habita est circa navigia, quae ad Africæ litora fuerant ab Anglis capta, cuius detrimenti premium brevi iri solutum sponponit. Verum hac ipsa de re augendas maxime esse naveles Germaniae copias suasit, ita ut iam credendum sit imperatoris consilia, levioribus obstaculis superatis, facilius iri approbatum.

In Graecia bellicarum rerum administer suo munere sese abdicavit.

In Iberia, Villaverde, aerarii administer, rogationem coram populi oratoribus protulit de Cubae et Philippinarum insularum publico aere alieno in aliud commutando.

In Rumenia Cantacuzeno, qui res domesticas regni moderabatur, suo munere se solvi a rege petit; quare in eius locum Mano, qui aerarium administrabat, suffectus est. Ceteri autem administris, paucis immutatis, sua quisque munera servarunt, ipseque Cantacuzeno collegii praeses relicitus est.

In Serbia cum Alexander princeps ex itinere, quod in Austriam fecerat, reversus, plurimis de maiestate nuper damnatis gratiam sese elargiri voluisset, Georgevic summus administer eiusque socii regi imperium remiserunt, qui tamen iis rursus commisit.

In Suetia comitorum nova sessio regis oratione solemniter inaugurata est, qua de coetu pacis Hagae iam habito multa splendide dicta sunt; attamen hoc unum animadversum est populis tutamen praevalidum esse, ut armorum disciplina satis periti et muniti sint.

SCRIBA.

### LIBRORUM RECENSIO

**PIETRO PICCOLOMINI. Terme romane presso Siena.**  
Relazione di recenti scavi. - Senis, ex officina surdo-mutorum L. Lazzeri, 1899.

In agro Senensi, nec amplius ferme quam quatuor millia passuum ab urbe, abhinc quatuor annos, in loco ab auro dicto, cum rustici ligoni incumberent, rudera quaedam, romanae aetatis clara vestigia, attonitis oculis apparuerunt.

Ex tunc igitur subsequentibus annis cautum prudentissime est, ut effossiones, antiquitatis disciplina duce, perficerentur quadusque integrarum aedium reliquiae insignes essent luci redditæ, quarum, ad instar castelli, in Caracallæ thermis extantibus, forma visa est. Huc prope vero alvei, et fontes, et balnea sunt deinde reperta, et cubiculorum nova indicia nummis, suppellectilibus, inscriptis lapidibus, vasis, dolis, monilibus satis referta.

Harum rerum omnium tum prout unaquaque contigit vel reperta est, tum iuxta varias dissitasque, quas exhibent formas, columnnarum, fornicum, pavimentorum, marmorum, fontium, suppellectilium, doctissimam descriptionem Petrus Piccolomini digessit. Labor ferme eximiae diligentiae maxime laudis, quamvis unum sit, quod praecipue nos perculerit, nativa ingenii quaedam acies, ita ut per informes mutilasque reliquias, patrum memoriae ad vitam veluti revocentur. Qua quidem virtute eo gratius gavisi sumus, quo magis celebranda romani nominis gloriae officium, non immerito forte, nobis adrogamus.

F.

### AENIGMATA

I.

Olla, liberque tenent pariter, mirabile dictu!

Ut fluat hic retinet; ne fluat ille tenet.

Dat regere imperio populos, dat lucra et honores,

Dat lex, dat leges... et nutrit atque fluit.

II.

Cogere prima solet;

Altera nare iubet;

Ultraque mixta bibis.

Altera si prima est, subito quam prima sequatur,  
Tutus per pelagum, candide lector, abis.

P. ALEXIS.

**Ex sociis qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus, gallice scriptum et figuris ornatum, cui titulus:**

**ÉLÉMENTS D'ICONOGRAPHIE CHRÉTIENNE**  
par LOUIS CLOQUET.

Aenigmata ann. II, n. XXIII proposita his respondent:

I. Do - dona.

II. Par - Pater - Ter - Patera.

Ea rite soluta miserunt:

Ed. Bianco, Roma - Car. Stegmüller, *Sabaria*; M. Kheberich, *Seopusio*, in *Hungaria* - Guil. Schenz, *Ratisbona*, in *Bavaria* - Iean. Asprenas Rocco; Caes. Meucci, *Neapoli* - Iean. Sedlák, *Praga*, in *Boemia* - Iean. Sobczynski, *Włocławek*, in *Polonia* - Iean. Mediolanensis - Ver. Cariolato, *Vicentia* - Ios. Wilhelm, *Canterbury*, in *Anglia* - Ios. Capovin, *Montebello ad Vicentiam* - Ios. Vyková, *Seccau*, in *Styria* - A. Chevénement, Nods, in *Gallia* - A. Frachetti, *Mengalore*, in *Indis* - Ios. Crozatti, *Poiano Vallispanthenea*, in *agro Veronensi* - I. I. Dunne, *Dublino* - P. Garrone, *Pezzana ad Vercellas* - Ad. Huza, *Grybow*, in *Galicia*.

Sortitus est praemium:

JOSEPH VYKOUKAL

ad quem missum est opus, cui titulus:

**LE TROISIÈME SIÈCLE ARTISTIQUE**  
par LECOY DE LA MARCHE.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE - Ex Officina Forzani et Socii.

- XIII. . . Ciceronis M. Tullii Orationes. Ed. MÜLLER. (Voll. 3).  
 XIV. . . Ciceronis M. Tullii Epistulae. Ed. MÜLLER. (Voll. 2).  
 XV. . . Ciceronis M. Tullii Scripta philosophica. Ed. MÜLLER. (Voll. 3).  
 XVI. . . Eclogae poetarum latinorum. Ed. S. BRANDT.  
 Id. graecorum. Ed. STADTMÜLLER.  
 XVII. . . Gellii Auli Noctium Acticarum libri XX ex rec. M. HERTZ. (Voll. 2).  
 XVIII. . . Historicorum Romanorum fragmenta. Collegit, dispo-  
 sit, recensuit H. PETER.  
 XIX. . . Orosii Pauli Historiarum adversus Paganos libri VII.  
 Rec. C. ZANGEMEISTER.  
 XX. . . Panegyrici Latini XII. Rec. AEM. BAEHRENS.  
 XXI. . . Poetarum Romanorum fragmenta. Ed. AEM. BAEHRENS.  
 XXII. . . Sili Italici Punica. Ed. L. BAUER. (Voll. 2).  
 XXIII. . . Taciti C. Cornelii Libri qui supersunt. Rec. C. HALM. (Voll. 2).  
 XXX. . . Divi Thomae Aquinatis Summa Theologica ad emendatores editiones impressa et accuratissime recognita. Edid. Romae Forzani et S. - Leo PP. XIII aureo numismate decoravit.  
 XXXI. . . Divi Thomae Aquinatis Summa Philosophica contra Gentiles ad lectionem codicis autographi in bibl. Vaticana adservati, probatissimorum codicum meliorisque notae editionum fideliter impressa. - Romae, ex off. Forzani et S.  
 XXXII. . . Biblia sacra vulgatae editionis Xysti V P. M. iussu recognita et Clementis VIII auctoritate edita. - Affabre renovarunt Desclée, Lefebvre et S.  
 XXXIII. . . Novum Iesu Christi Testamentum vulgatae editionis Xysti V P. M. iussu recognitum et Clementis VIII auctoritate editum. - Affabre renovarunt Desclée, Lefebvre et S.

(Quae opera omnia prodierunt Lipsiae ex officina Teubneriana).

Subnotationes atque praepositi praemii indicatio recto tramite mittantur ad **Vox Urbis** commentarii administratorem, **Roma, via Alessandrina, 87.**

### PER ORBEM

Dum pergunt assidua, sed parum mutata vice, caduca hominum fata, quid vobis minus grave referam, lectores, avidis oculis circumspicio. Verum post occlusa vitrea fenestrarum subfuscum portenditur caelum, et cinereo colore triste, pluviaque lenis et blanda velut coniecta vitreorum acuum infinita praeterentes perfundit.

¶

Tunc incertus aliquantulum recogito quid sub pluvia hac magis laetum oculis videatur; nec sunt feriarum aut sacrorum aut exterarum gentium pompa ulla ita solemnes, quae me torpidum e cubiculo allicere valeant. Nec invideo Turcis Byzantii dominis Ramadani diem hoc tempore celebrantibus, nec eorum imperatori, qui ad S. Sophiae templum ditissima comitante aula naviculis descendit. Ecquid enim splendidae Byzantini portus pulchritudines, ecquid maris fulgentes colores, tubarum sonitus populique clamores, si micantis desuper solis risum sustuleris, Iupiterque udus tantas ferias suo madore perturbaverit?

¶

Quaerat fortasse quispiam: Quid igitur nobis, qui nivali quotidie torpido velo obruimur? Atqui levius est nivali pondere circumdari, quam ignita vel alia quavis terrae concusione vastari et obrui. Senserunt equidem in nostris Avilianenses pagani, qui Augustae Taurinorum fines incolunt. Horum enim in agris opificum erat ad canden-tem pulverem elaborandam exstructum; at incauta cuiusdam manu factum est, ut materiae quae ad pulverem commiscebantur inopinato exardescerent. Oh miserum eventum! Flammae vix excitatae in contigua irruptentes, capsas pulveris referatas attigerunt, aedesque omnes uno pene momento, veluti ballistaricus globus, eru-  
runt; ex opificibus, alii ruinis oppressi, alii vulnerati, domusque circum diruta pleraque sunt.

Similis terraemotus, hominum culpa licet haud ortus, Caucasi montes concussisse traditur, et plus quam centum oppida diruisse. Ex Russia vero nunciatum est Zierstein opificium ad saccharum elaborandum lato cum fortunarum detri-  
mento in decoctionem misere incidisse.

¶

Peragunt interea morbi: Londini influen-  
tia, ignota illa febi, decessus civium frequen-  
tissimi lugentur; in Brasiliensi vero urbe capite pestifera Iues iterum sese ostendit; quare et portum et moenia arctissima militum custodia  
praecingi imperatum.

¶

Inibi insuper et aurigarum desertiones his diebus effuberunt, ita ut passim per vias eo-  
rum proelia et adelitationes cum militibus ur-  
banis locum habuerint. Effossores autem car-  
bonis sive in Bohemia sive in Gallia tumul-  
tuantes adhuc manent.

¶

Sunt haec Lutetiae, ut audio, in comitiis etiam agitata, sed nulla lege cautum earum incolis est, ne tam uidea tempestate latius detrimentum patiantur ex umbellarum assidua amissione. Videntur enim Lutetienses longe magis quam reliqui populi hoc fato esse percusi; nam elapso anno ad septem millia et amplius umbellae, quarum cives oblii fuerant, per civitatem repertae sunt.

Acervus hic immensus curribus plurimis im-  
positus publicae auctioni est venundatus, et ab Israelitis potissimum emptus. Qui ad coemeteriorum ianuas stantes, lugentes comitatus plerumque exspectant, quibus, si improvisa pluvia corripue-  
rit, mercem suam miti pretio venalem facere solent.

Illuc igitur, si quis umbella sub frequentibus imbribus niveque careat, ut quam citius profi-  
scatur, suadeo.

• VIATOR.

### VARIA

#### Cinemicrophonographus.

Parcite voci semipiterne, lectores, ad machi-  
nam hanc accofmodatae, quam in America in-  
ventam accepimus, atque in Lutetiana rerum  
omnium recognitione, proximo anno habenda,  
futuram inter electridis reliquos apparatus.

In ipsa enim simul habentur coniuncta, quae cinematographus oculis, auribus microphonographus asservant. Quapropter, non unus modo, sed vel plures propria in domo sedentes, vel convenientes apud amicum seu festo quovis die, sive recreandi animi causa, eodem tempore et quae in scenis acta vident, et quae voce, quae sonu illic de-  
cantata sint audiunt, dum fabula in teatro agitur.

Qui ergo nunc principem locum vocis modulamine, potentia et suavitate tenent, qui gestu gratia, incessu, actione potiores in scena sunt caveant etiam atque etiam; non enim ultra magna argenti vi advocabuntur ut fabulam seu canant seu peragant; *cinemicrophonographus* haec omnia minore impendo pro illis absolvit!

\*

#### Ioci ex historiis.

Dary, inter Angliae philosophos celeberrimum, tam rigide horas in studiis collocavisse enarrant. ut sordido indusio, nitidum aliud non semel tan-  
tum, sed quinques et amplius superindueret, ne frustra, ut ei videbatur, sese expoliando tempus tereret. Cum vero tandem momentum nactus, tot indumenta posuisset, amici, qui eum tam brevi emaciatum conspiciebant, de eius valetu-  
dine aegre admodum verebantur. Quem tamen metum, cum paulatim philosophus assueto more, alii alio superimposito indusio, iterum pingue-  
scere coepisset, paulatim et ipsi ponebant, et ve-  
luti de recuperata valetudine vehementer amico gratulabantur.

P. d. V.

Romae = Desclée, Lefebvre & S. = Romae

## GUIDA DEL PELLEGRINO A ROMA

Recognovit P. BONAVENIA S. I.

## GUIDA DI ROMA

Ab ipso P. BONAVENIA S. I. exarata.

Bina haec opera habentur dupli editione impressa, sive italica sive gallica lingua, atque ven. sing. Lib. 1.50. Anglica vero tela relig. Lib. 2.

## GIUBILEO 1900 MANUALE DI PREGHIERE PER LA VISITA ALLE QUATTRO BASILICHE

Editio expolta, laudibus et benedictione donata a Summo Pontifice.

Italica vel gallica lingua, ven. . . . L. 0.50.

Anglica lingua, ven. . . . . » 0.60.

## T. G. FRATRUM PARISI CANDELARUM AD SACRA OPIFICIUM PRAEMIIS INSIGNE

AB ANNO 1829 CONSTITUTUM

Romae in Italia, in Foro Campi Martii, 6

Singulis in artium recognitionibus publice habitis maxima relata munera.

Leo PP. XIII honores addidit.

Lateranensi Archibasilicæ, itemque Vaticanae, quoties de Beatificatione aut de Canonizatione solemne sit, suppeditat.

Praincipia Templa cereis instruit ubique terrarum. In Asiam, Africam et urbem Constantinopolim mittit ingentia rerum huiusmodi pondera, pretio francs 180 pro singulis 100 Chilogramm.

Si vero ab America aut ab Australia petantur onera (300 Chilogramm. ad minimum), pretium erit francs 250 pro 100 Chilogramm.

Nullo impendio iubentium res in proximiorem a petentiis designatum portum defertur.

Gratuito pariter, quae mittuntur, arca asservantur - Cuius querenti explicatio erit uberior.

## ROMA LETTERARIA

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

AEUREO NUMISMATE DECORATUS

ROMAE - Corso d'Italia, 34.

Bis in mense prodit moderante Vincentio Boccafurni presbytero, adlaboratoribus qui clarissimi in Italia sunt scriptores.

Specimina gratuito cuique petenti mittuntur.

## FIGURÆ URBIS ROMÆ

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSÆ

COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO

Veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.

## URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1.10 × 0.24)

qui sociis commentarii VOX URBIS dono datur,  
venit singillatim L. 2.50

apud comm. VOX URBIS Administratorem.

SI QVIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA  
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

Nuperrime prodierunt

CONSTITUTIONES LEONIS XIII

SUPER

## IUBILEO UNIVERSALI ANNI MDCCCC

COLLECTA EDIDIT, QUIBUSDAM ADNOTATIONIBUS ADDITIS  
IN COMMODUM PRAESERTIM CONFESSARIORUM

THOMAS ARIZZOLI

Missionarius Apostolicus Imperiali, S. Poenitentiariae officialis.

Ven. lib. 1

apud commentarii VOX URBIS Administratorem.

Pro sociis comm. Vox Urbis Lib. 0.50

## VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

ROMAE - Via Alessandrina, 87.

## LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Theosophicon. Poema didascalicum pactum a M. C. V. - Neapoli, ex off. Salvatoris Marchese, 1899.

Wesen und Ursprung der Lehre von der Präexistenz der Seele und von der Seelenwanderung in der griechischen Philosophie von FELIX LAUDOWICZ. - Berolini, ed. Selbstverlag des Verfassers.

De doctrinis ad Animarum praeexistentiam atque Metempsychosis spectantibus, quatenus in Iudeorum et Christianorum theologiam vim quandam exercuerint, Quaestiones auctore FELICE LAUDOWICZ Parocho Kwilecensi. - Lipsiae vendit Gustav Fock. MDCCCXCVIII.

Disquisitio chronologica quo tempore et quamdiu Verbum Incarnatum homo vixerit inter homines in terra, auctore F. J. P. G. van ETEN Ordinis Augustiniani, S. Theologiae Magistro. - Romae, ed. Desclée, Lefebvre et Soc., 1900.

Dott. FRANCESCO CHIMINELLO. Nuova grammatica elementare della Lingua Latina. Morfologia, Sintassi, Prosodia. - Novocomi, ed. Dantes Grossi, 1900.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS ANN. MCM (Vid. in secunda operculi pagina).